

arbitrio videre, et non videre; non oportet obicere, quid si lumen absit? intelligitur enim quæstio positus omnibus quæ necessario requiruntur.

Nos igitur dicimus, posito auxilio necessario, quodcumque illud sit, hominem vere, proprieque liberum esse in moralibus, atque id probamus, quoniam alioqui lex omnis frustra data esset. Ad hoc autem Calvinus nihil omnino respondit, sed aliam quæstionem, satis callide, pro suo more divertit.

Porro nostrum argumentum efficacissimum esse, vel ex eo cognosci potest, quod eo pene solo utitur S. Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio, ad illud ipsum probandum adversus imperitos quosdam monachos, quod nos adversus Calvinistas probare contendimus. Sic enim ait cap. 2: «Revelavit nobis Deus per Scripturas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemorare non humano, sed divino eloquio. Primum quia ipsa divina præcepta, homini non prodesse nisi haberet liberum voluntatis arbitrium». Et infra: «Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium»? Et infra: «Jam multa mandata quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ»? Et infra: «Nempe ubi dicitur, noli hoc et noli illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium». Hæc ille.

CAPUT XIX.

Secunda classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

Alteram classis continet ea testimonia Scripturarum, quibus promittitur nobis aliquid a Deo sub conditione, si voluerimus. Isaia I. *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis; si nolueritis, gladius devorabit vos.* Amos V. *Quærite bonitatem, et non malitiam, et vivetis.* Matth. XIX. *Sivis ad vitam ingredi, serva mandata* (1). Ex his, et aliis similibus locis, quæ in Scriptura passim occurrunt, tale conficitur argumentum: «Aut est in potestate nostra præstare conditionem oblatam, aut non est: si detur primum, demonstratur liberum arbitrium; si secundum, illa non est vere sub conditione permissio, sed manifesta irrisio. Non secus ac si quis bra-

(1) Isai. I, 19; Amo. V, 14; Matth. XIX, 17.

vium proponeret, ac præconis voce clamari juberet, ut qui voluerint, currant, dandum enim bravium ei, qui cæteros currendo superaverit: deinde paucos quosdam vi traheret ad bravium, alios vinculis, et catenis constringeret, ne se commovere possent».

Respondet Calvinus, non esse absurdum, ut Deus aliquid sub impossibili conditione polliceatur. Constat enim ipsi rationem suam cur hoc faciat. Nam impiis quidem proponere ejusmodi promissa, ut eis quam sint indigni divina benignitate testetur; sicut etiam præceptis suis eosdem pungit, ne nimis suaviter in peccatis deliciantur. Piis autem easdem promissiones proponere, ut quia præceptis ignavia nostra non satis acuitur, promissionum dulcedine ad eorum amorem alliciamur.

At non quærimus nos hoc loco, cur Deus promissiones offerat piis, vel impiis: sed contendimus, non posse recte promitti aliquid sub conditione, nisi ei qui libero utatur voluntatis arbitrio. Et re vera si Deus proponeret impiis impossibilem conditionem, ut eis testaretur, quam sint indigni benignitate divina, illa conditionis oblatio ironice exponi deberet, et esset (ut diximus) non tam conditio, quam irrisio. Neque enim fieri potest, ut aliquis sciens, et prudens proprie loqui intendat, cum aliquid faciendum, vel non faciendum sub impossibili conditione proponit.

At loca illa Scripturæ nullus adhuc ironice exposuit, sed omnes proprie. Neque possunt ironice exponi, nisi vis maxima divinis literis adferatur. Certe enim interrogatus Dominus, quæ esset ad salutem via, nullam causam habuit ironice responsionis. Proinde Magister bonus vere, proprieque respondit, cum ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et infra: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia etc.* Deinde, si Deus promissiones sub conditione impassibili offert impiis, ut eis indignitatem eorum testetur; vel possunt impii ex hoc testimonio divino proficere, cogitando videlicet suam indignitatem, et inde timorem, ac dolorem concipiendo, seque coram Deo humiliando; vel non possunt, quia videlicet, aut non intelligunt testimonium divinum, aut contemnant: si possunt, ergo habent liberum arbitrium; si non possunt, igitur inutile est ejusmodi testimonium, ac frustra adhibetur. Et re vera impii non intelligunt indignitatem

suam, nec ullo modo existimant, promissiones divinas ad hoc sibi offerri, ut testimonium habeant indignitatis suæ. Quare sine causa Deus hoc testimonium illis daret.

Denique certum est, saltem piis, non offerri promissiones sub conditione ironice et irrisorie, sed vere ac proprie: poterunt igitur pii pro arbitrio conditionem implere, vel etiam non implere. Id enim est proprium veræ conditionis, ut dependeat ab arbitrio ejus, cui proponitur. Itaque sicut promissio ad amorem præceptorum accendit animos piorum, quod nos Calvino minime negamus, ita conditio demonstrat arbitrii libertatem, quod nobis Calvinus vicissim negare non debet, nec potest, si rationem, et naturam veræ conditionis intelligat.

CAPUT XX.

Tertia classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus

Tertia classis testimonia illa complectitur, quæ docent per hominem stetisse, quo minus bene ageret, et peccata vitaret. Numer. XIV. *Amalec, et Chanaanæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino.* Deuter. XXX. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Isaia V. *Quid potui vineæ meæ facere, et non feci?* Hieremia VII. *Hæc gens non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, ideo projecta est a Domino.* Et cap. XXXII. *Quia indurastis cor vestrum et nolulistis obedire Domino, hæc omnia mala evenerunt vobis.* Matth. XXIII. *Quoties volui congregare filios tuos, et nolulistis.* Act. VII. *Incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis* (1). Ex his locis ducitur hoc argumentum. «Vel potest is qui peccat, non peccare, vel non potest: si potest, habet igitur liberum arbitrium: si non potest, igitur Deus frustra queritur de homine, quasi per illum steterit, quo minus bene ageret, cum ipse aliter facere non potuerit».

Ad hoc argumentum Calvinus respondet, ac primum dicit, Deum non immerito de hominibus conqueri, quamvis non possint non male agere, quoniam vitio suo, et hæreditaria malitia infirmi sunt. Secundo addit, peccatores a Deo reprehendi, ut peccatorum tædio in viam redeant. Tertio, ad locum allegatum ex cap. XXX. Deuter. quo se magis

urgeri sentiebat, duobus modis respondet, primo, locum illum posse eludi, si quis affirmet, Mosem loqui de facilitate cognitionis, non observationis præceptorum. Deinde, respondet serio, Mosem eo loco intelligendum esse de promissione Evangelii, non de præceptis, et lege naturæ.

Consideremus nunc quanti ponderis sint istæ Calvinus responsiones. Prima illa de malitia hæreditaria parum eum juvat. Nam malitiam illam, nos poenam docemus esse, non culpam, nisi libera voluntate ei obediamus: Calvinus autem, qui culpam esse contendit, id probare, non assumere debuisset. Itaque sicut homini cæco a nativitate non recte quis vitio verteret, si inter ambulandum impingeret, etiamsi cæcitas illa ex peccato originali descendat, et ille vitio suo, id est, vitio, quod in ipso hæret impingat: sic etiam non recte peccatores reprehenderentur, cum præcepta divina transgrediuntur, si absque libera consensione, ex sola naturæ corruptione, quæ ex peccato primi hominis in nobis hæret, præcepta Domini violarent.

Alteram responsio, quam reddit Calvinus, eum dicit, peccatores a Deo reprehendi, ut peccatorum tædio in viam redeant, non solvit ullo modo propositum argumentum. Nam si possunt homines peccatores audita obijuratione, tædio peccatorum affici, et in viam redire, liberum arbitrium se habere demonstrant, si non possunt, quorsum illæ divinæ querimonie? quorsum (inquam) ita loquitur Deus, quasi per homines staret, quo minus bene agerent? «Ut nolentes, inquit Calvinus, ac inviti intelligant, necessarium sacrilegium esse, si malorum suorum culpam, quæ in ipsis residet, in Deum rescribant». Et probat ex cap. VII. Hierem. ubi jubet Deus narrari omnia scelera populi, et tamen prædicat eum non auditurum: «Loqueris (inquit) ad eos omnia verba hæc, et non audient te.» At probare Calvinus debuisset, veram culpam residere in iis, qui ex necessitate peccant, vel certe eos merito reprehendi, qui non possunt bene agere. Hieremias autem non dicit, non poterunt audire, sed, non audient. Itaque quoniam audire poterant, sed nolebant, ideo jussu Domini revocantur illis in memoriam scelera ipsorum, ut excusationem nullam habeant.

Tertia responsio, quæ ad locum Deuteronomii proprie pertinet, non est melior cæteris. Quod enim Calvinus dicit, locum illum

(1) Num. XIV, 25; Deut. XXX, 14; Isai. V, 4; Hier. VII, 28; ib. XXXII, 23; Matth. XXIII, 37; Act. VII, 51.

Iudi posse, explicando illud « non supra te est » de facilitate cognitionis, non observationis, non eget responsione, cum ipse idem in lib. iv. adversus Pighium scribat, eam solutionem esse cavillatoriam. Et merito hoc scribit, quoniam licet Moses loquatur de facilitate cognitionis, ut supra nos ostendimus, tamen ex facilitate cognitionis, colligi vult, in potestate populi fuisse mandata servare, vel non servare. Dixerat enim paulo ante: *Revertetur Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, si tamen audieris vocem Domini tui, et custodieris praecepta ejus.* Ac ne populus responderet, se non posse implere praecepta aut non scire quid Dominus velit, adjungit Moses: *Circumcidet Dominus cor tuum, ut timeas eum etc.* Ubi promittitur auxilium gratiae contra excusationem impotentiae, et postea addit: « Mandatum hoc non supra te est, neque in caelo situm, ut possis dicere, quis ascendet in caelum etc. » Ubi tollitur excusatio ignorantiae.

Hac igitur solutione omissa, quam (ut diximus) Calvinus etiam cavillatoriam esse confitetur: seria responsio illa est, quod Moses non loquatur de observatione legis, sed de promissione Evangelii. Id quod probat; tum, quia B. Paulus ad Rom. x. totum hunc locum Deuteronomii refert ad Christum; tum etiam, quia Moses si de praeceptorum legis observatione locutus fuisset, in manifestum exitium populum praecepisset. Effecisset enim ut existimaret, se legem universam suis solis viribus posse complere.

At haec responsio vim adfert clarissimis verbis divinae Scripturae. Quomodo enim poterat Moses magis aperte significare, se loqui de lege, et praeceptis servandis, quam illis verbis: *Mandatum hoc, quod ego praecepit tibi hodie?* Et illis: *Si audieris vocem Domini, et custodieris praecepta ejus, et caeremonias, quae in lege hac scripta sunt?* Quomodo possunt sine summa impudentia haec negari?

Convictus igitur tam perspicua veritate Calvinus in lib. iv. adversus Pighium, addit, si Moses de praeceptis loquatur, loqui tamen de eis, ut ad Christum manu ducunt, ut potissima sententia ad Christum pertineat.

Sed hoc non solvit argumentum. Nam si ve hic locus ad Christum pertineat in sensu litterali, sive mystico, sive non pertineat ullo modo, non multum laboramus; id nobis es-

(1) Deut. VIII, 2; ibid. XIII, 3.

satis, si concedatur, quod nulla ratione negari potest, loqui Mosem etiam de praeceptis servandis, et docere, esse in potestate hominum illa servare, et non servare, ex quo liberum sine ulla dubitatione demonstratur arbitrium. Neque obstat testimonium Apostoli ad Rom. x. non enim oportet exponere Scripturam claram per obscuram: certum autem est omnium interpretum consensione locum Mosis, multo clariorem esse, quam Pauli.

Deinde (ut nos supra docuimus) Apostolus non explicat verba Mosis, sed ad ea tantum alludit propter similitudinem quamdam legis et fidei. Neque Moses praedicando liberum arbitrium praecepit in exitum populum. Non enim dicit, solis viribus liberi arbitrii mandata posse compleri, sed adjungit etiam gratiam, cum ait: *Circumcidet Dominus cor tuum, ut timeas Dominum.* Denique docet Moses absolute mandata legis posse compleri, atque id esse in libero voluntatis arbitrio, quoniam qui dedit praeceptum, sine dubio non denegat auxilium.

CAPUT XXI.

Quarta classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

Quarta classis continet ea testimonia, quae docent, Deum quasi recedere et explorare, quid homines faciant, et quorsum studia sua convertat. Deuter. VIII. *Adducit te Dominus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent, quae in animo tuo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non.* Et cap. XIII. *Tentat vos Dominus Deus noster, ut videat, si diligatis eum in toto corde. At frustra exploraret Deus, quid homines facere velint, nisi possent rem eandem facere, et non facere. Nemo enim prudens explorat eventum rei determinatae ad unum.*

Quis namque exploravit unquam calidus ne sit ignis, an frigidus? appetat canis esuriens panem potius, quam lapidem? (1)

Respondet Calvinus, Deum non sic recedere quasi destituat hominem gratia sua, ut exploret, quid ille suis viribus possit: sed permittere, ut homines affligantur, quasi ipse non videret quid mali patiantur sui. Atque huc usque satis bene. Sed quorsum Deus af-

fligi sinit suos? « Ut videat, inquit Calvinus, an post longas calamitates capiat eos recordatio Dei, et quaerant faciem Domini sui ».

Hic vero rursus redit argumentum, nam si possunt homines afflicti quaerere Deum, quod ante non faciebant, certe habent liberum voluntatis arbitrium: si non possunt, frustra Deus illos affligi sinit, ut videat, an quaerant faciem Domini sui: quorsum enim explorat, quod scit non posse fieri?

Respondet, non posse afflictos quaerere faciem Domini sine gratia, tamen posse cum auxilio gratiae. At nos id minime negamus; non neget ipse vicissim, posse hominem cum auxilio gratiae pro libero arbitrio voluntatis quaerere, Deum; et non quaerere id est, gratiae cooperari, et non cooperari, et pax erit. Vel si id negare perrexerit, intelligat argumentum non esse solutum; semper enim ea difficultas manet, cur Deus exploret, quid homo facere velit, si non potest homo pro arbitrio velle et non velle, facere et non facere.

Adfert deinde Calvinus alteram responsionem, ac dicit, Deum non destituere hominem, ut videat quid ille possit, sed ut eum adigat ad recognoscendam propriam obedientiam, id est, suum nihil. At neque nos ignoramus, Deum, qui omnia novit, non explorare, ut ipse aliquid novi cognoscat, sed ut faciat nos cognoscere quales simus; et ut alii quoque, qui corda nostra non vident, intelligant ex operibus externis, quales intus simus.

Itaque Deum tentare aliquem, nihil est aliud, quam occasionem illi praebere aliquid patiendi, vel agendi ex quo intelligatur ejus charitas et patientia. Vel contra proprius amor et impatientia. Sic Deus tentavit Abrahamum, Tobiam, Job, ut appareret eorum insignis virtus; et contra sic tentavit filios Israel in deserto, ut appareret, quam parum solidae virtutis in illis esset, etiamsi dixissent: *Quicquid nobis praecepit Dominus, faciemus, nec ambulabimus altera via.*

Cæterum ex hac tentatione, qua Deus facit nos explorare et cognoscere, quid simus, non minus libertas arbitrii comprobatur, quam si Deus tentaret, ut ipse hoc idem exploraret, atque cognosceret. Nam neque nobis explorandum esset quid simus, si ex necessitate operaremur, et occasione oblata, non possemus nisi in alteram partem inclinare.

Praeterea tentat Deus, ut appareat virtus, aut vitium, et merito laudari, aut vituperari aliquis possit. At non est opus virtutis, vel

vitii, nec dignum laude, aut vituperatione, quod necessario fit, nec potest aliter fieri. Propterea siquidem virtus et vitium, laus ac vituperatio locum in bestiis nullum habent, quod illa libertate arbitrii carent, nec possunt aliud agere, nisi quod agunt.

CAPUT XXII.

Quinta classis Scripturarum pro libero arbitrio in moralibus.

Quinta classis habet duo testimonia divinae Scripturae, quae magno quodam fastidio, et quasi per contemptum Calvinus proposuit, praemisso hoc proemio: « Quae, inquit, praeterea hinc inde testimonia corradunt, medicis etiam ingeniis non multum facessent negotii, quae superiores modo solutiones probe imbiberint ». Ista videlicet est serpentis astutia. Nam quia duo ista loca sunt omnium gravissima, neque sperabat Calvinus posse lectoribus satisfacere responsiones suas, ostentare voluit contemptum, ut putaretur magis non voluisse, quam non valuisse propositos nodos accurate solvere.

Prior igitur locus est in cap. iv. Genes. ubi sic legimus: « Quare iratus es, et quare concidit vultus tuus? Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius ».

Posterior locus est in cap. xv. Eccles. ubi haec habentur: « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi ».

Consideremus priorem locum, in quo tot pene sunt argumenta, quot verba: *Quare inquit Deus ad Cain, iratus es? et cur concidit vultus tuus?* Haec interrogatio indicat, potuisse Cainum, si voluisset, non irasci, et non tristari. Cur enim non dicimus cani, quare latras? et leoni, quare rugis? nisi quia scimus, non posse bestias illas pro arbitrio latrare et non latrare, rugire et non rugire?

Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Illa conditio (si bene) et illa (si male) nonne etiam

liberum ostendunt voluntatis arbitrium? cur enim non dicimus homini, si solem stare feceris, sicut dicimus, si bene egeris, habebis hoc, aut illud? nisi quia non ignoramus, non esse in potestate hominis, ut solem stare faciat, esse autem ut bene agat, si velit, vel male, si nolit?

Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Hic vero apertissime in statu naturæ corruptæ liberum prædicatur arbitrium. Quid enim est, *sub te erit appetitus ejus*, nisi, in potestate tua erit peccati cupiditas? et quid significat, *tu dominaberis illius*, nisi, poteris, si volueris, cupiditati resistere, et ita efficere, ut non regnet peccatum in tuo mortali corpore?

Videamus nunc, quam hic se torqueat, sudetque Calvinus, qui paulo ante jactavit hunc, et similes locos ne mediocribus quidem ingeniis negotium facessere posse. Primum ait, non debere intelligi illa verba (*sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*) de peccato, sed de Abel, ut sensus sit, quamvis peccaveris, tamen primatum inter fratres obtinebis, et dominaberis fratri tuo juniore. Deinde admittit hunc locum, posse exponi de peccato: « Ne videamur, inquit, hanc interpretationem complecti, quod altera nobis contraria sit, demus sane de peccato locutum fuisse Deum ». Sed quærit, an Deus promittendo, an potius jubendo dixerit « tu dominaberis illius »: et si quidem jubendo, non inde probari liberum arbitrium dicit, quia Deus etiam impossibilia quandoque jubet; si promittendo, quærit, cur non sit factum quod Deus promisit. Non enim a Caino peccatum, sed a peccato Cainum devictum fuisse, parricidium illius clamat.

Objicit postea sibi, conditionem intelligendam esse in ea promissione, quasi dictum sit: « Victoriæ de peccato referes, si tamen certaveris ». Respondet: « Sed quis recipiat istas ambages? Ad extremum, cum ei displiceret, quod tam facile concessisset, hoc loco de peccati victoria, et dominatu agi, mox subjungit: « Quamquam et res ipsa, et ratio Grammaticæ postulant, comparisonem fieri Cain et Abelis, quia primogenitus frater minori posthabitus non fuisset, nisi proprio scelere deterior ». Atque hæc est tota Calvinii defensio.

Nos vero constanter asserimus, hoc loco non de Abele, sed de peccato Deum esse locutum. Idque probamus primum ex ratione

Grammaticæ, quam nobis Calvinus objicit. Illud enim pronomen ejus, cum dicitur, *sub te erit appetitus ejus*, et illud pronomen illius, cum dicitur, *et tu dominaberis illius*; referunt id, quod paulo ante nominatum est. Paulo vero ante, peccati, non Abelis, mentio facta est, sic enim legimus: *Si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Ratio igitur Grammaticæ postulat, ut illa pronomina (*ejus*) et (*illius*) ad peccatum, non ad Abelem referantur. Quid quod in tota hac divina sententia numquam nominatur Abel? unde igitur venit Calvinus in mentem, ut de Abele, non de peccato sermonem hoc loco haberi existimaverit?

Deinde probamus, ex communi consensu interpretum. S. Ambrosius lib. II. de Cain cap. 7. « Non frater, inquit, ei addicitur, sed error adscribitur, cujus ipse sibi auctor est. In te, inquit, revertetur crimen, quod a te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis, quam mentem tuam arguas ». Vides, quomodo S. Ambrosius et Calvinii expositionem rejiciat, et liberum arbitrium a necessitate perspicue doceat?

S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis idem docet, et quidem his verbis: « Quia, inquit, liberi arbitrii es, moneo ut non tibi peccatum, sed tu peccato dominaberis ».

S. Augustinus lib. XV. de Civit. Dei cap. 7. « Quiesce, inquit, ad te enim conversio ejus, et tu dominaberis illius. Numquid fratris? absit; cujus igitur, nisi peccati? » En quam aperte S. Augustinus absurdum esse pronunciat eam sententiam, quam Calvinus maxime probavit.

S. Prosper in II. lib. de Vocatione gentium cap. 13. enarrans illud: « Ad te erit conversio ejus, et tu dominaberis illius », « Ad te, inquit, tua culpa revocetur, noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatum ».

S. Gregorius lib. IV. Moral. cap. 22: « Tunc, inquit, peccatum cordis sub juris nostri possessionem reducit, si cum incipit reprimatur. Unde et divina voce Cain prava cogitanti dicitur, in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius etc ».

Eodem modo exponunt Eucherius, Beda, Rupertus, Ambulensis, Lyranus, Cajetanus, et glossæ, ordinaria et interlinealis. Neque suspicari debemus, nullum horum Doctorum

tenuisse rationem Grammaticæ, aut omnes graviter esse hallucinatos.

At objicit Calvinus: « Si de peccato agitur, cum dicitur, tu dominaberis illius, vel jubet Deus, vel promittit; si jubet non colligitur hinc liberum arbitrium, quia præceptum est impossibile, si promittit, cur non est factum quod Deus promisit? »

Respondeo, Deum nec promittere, nec jubere, sed significare, peccatum esse in potestate peccantis, et proinde monere Cainum, ut cogitet, in suo arbitrio esse cupiditati perversæ assentiri, vel non assentiri, et ideo det operam, ut non vincatur, sed vincat, nisi graviter puniri velit.

Sed etiamsi Deus juberet, nihil lucraretur inde Calvinus; nemo enim jubet impossibilia, nisi qui non vult fieri quod jubet, id est, insanus aliquis, aut furiosus. Et si Deus non juberet, sed promitteret victoriæ, sub conditione, si fortiter pugnare vellet, nullæ essent hic ambages. Quid enim clarius quam, vinces si certaveris? an non etiam Apostolus sine ullis ambagibus dixit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit?*

Adde, ad extremum, probari ex hoc loco liberum arbitrium, etiamsi daremus, locutum hic esse Deum non de peccato, sed de Abele. Neque enim Deus mitigare conaretur animum Caini, promittendo permansurum illi jus primogenituræ, et dominaturum illum fratribus suis, nisi sciret, potuisse eum revocari a concepto scelere, et in arbitrio ejus esse cupiditati jam exortæ resistere, vel consentire.

Posterior locus, ex cap. 15 Ecclesiast. invictissimus est, et tam perspicuus, ut nulla declaratione indigeat. Respondet autem Calvinus primo, librum Ecclesiastici esse dubiæ fidei secundo, Ecclesiasticum, de libero arbitrio primi hominis, quale fuit ante peccatum, non de eo, quale nunc est, esse locutum; tertio, si velit ille auctor, suis illis verbis non asserere liberum arbitrium, sed solum coercere carnis malignitatem, quæ sua mala in Deum transferendo vanam defensionem captare solet, ei se quoque libenter assensurum, alioqui ejus auctoritatem non magni pendere.

Ad primum respondeo, non posse a Calvinio Ecclesiasticum repudiari, si sibi ipse constare velit, propter duas causas. Primo, quoniam recipit Calvinus epistolam Jacobi et Judæ, quæ non minus dubiæ fidei olim fuerunt, quam Ecclesiasticus, deberet enim vel cum Lutheranis repudiare omnes libros, qui aliquando dubii fuerunt, vel cum Ecclesia re-

cipere eos omnes, quorum auctoritas in sacris Conciliis declarata est. Constat autem in Concilio Carthaginensi III. can. 47. inter libros canonicos, et divinos librum Ecclesiastici numeratum. Secundo, quia profitetur Calvinus se discipulum ac sectatorem esse Augustini. Augustinus autem non solum hunc librum inter canonicos ponit, in lib. II de doctr. Christiana cap. 8. sed etiam adducit in lib. de Gratia et libero arbitrio cap. 2. ad ipsum liberum arbitrium comprobandum.

Ad alteram Calvinii solutionem respondeo, ex Ecclesiastico non solum colligi primum hominem, cum libero arbitrio conditum fuisse, sed etiam idem liberum arbitrium in ejus posteris remansisse. Nam paulo ante dixerat: « Ne dicas, per Deum abest; non dicas ille me implanavit », id est, non referas in Deum causam sceleris tui. Et continuo rationem adjungit: « Quoniam Deus hominem constituit, et reliquit in manu consilii sui etc. » Quæ ratio nihil efficeret, nisi significare vellet Ecclesiasticus, liberum arbitrium initio datum primo homini, nunc etiam in ejus posteris permanere.

Præterea verba illa: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Et illa: *Ante hominem vita et mors, quod voluerit, dabitur ei.* Et illa: *Apposuit tibi igem, et aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam; non apertissime testantur Ecclesiasticum alloqui homines, qui nunc sunt, et illis concionari, qui possunt ex ejus cohortatione proficere?*

Ad tertiam solutionem breviter dico, ineptam esse conditionem, quam Ecclesiastico Calvinus proponit. Nom enim coerceri potest carnis malignitas, ne culpas suas transferat in Deum, seque a peccato immunem esse jactet, nisi concedatur homini liberum voluntatis arbitrium. Sed de hac re sæpe dictum est, nec sunt ubique omnia repetenda.

CAPUT XXIII.

Sexta classis Scripturarum, pro libero arbitrio in moralibus.

Præterea ea loca, quæ Calvinus notavit, sunt alia quædam, quæ ab illo prætermissa nos in sextam classem, quæ locorum derelictorum dici poterit, breviter conferemus.

Primum igitur locus sit ex cap. XXX. Deuteronom. ubi sic loquitur Moses: *Considera, inquit, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam*